



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643


Prolocutio seu scopus Auctoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

R. P.
LEONARDI LESSII
E
SOCIETATE IESV
THEOLOGI

*Diuiinarum Perfectionum compendia-
ria expositio, ad mentem sursum
elevantiam, & maximarum virtu-
tum actus facili modo excitandos.*

PROLOCVTIO.

 I homo in primæuo statu
innocentiæ & iustitię ori-
ginalis perstitisset, non
fuisset illi difficilè cæle-
stia, & diuina meditari; diuinam-
que præsentiam semper præ oculis
habere; & maximarum virtutum,
vt fidei, spei, Charitatis, Religio-
nis, gratitudinis, humilitatis, Re-
uerentiæ, obedientiæ &c. functio-
nes in animo suo excitare, & men-

Λ

tem

tem cum Deo suauissimè coniungere: habebat enim ille status singularem Dei assistentiam, mentem illustrantem, & eam in suo conatu adiuuantem ad Deum cognoscendum. & ad omnia virtutum officia cum magna voluptate & facilitate obeunda. Verùm euerso isto statu per peccatum, sublata est illa diuini spiritus ordinaria opitulatio; & ad nudæ naturæ nostræ infirmitatem delapsi sumus: qua fit vt diuinarum rerum consideratio, & omnia virtutum exercitia nobis facta sint difficilia ac laboriosa; & plerumque absque suauitate, & cum tædio à nobis obeantur. Facile est menti nostræ terrena & corporalia cogitare, & totum diem in illarum studio & tractatione consumere; Historias vel veras vel fabulosas euoluere; bella & prælia imaginari; sed valdè difficile illi est se supra ista corporalia sensibus & ima-

& imaginationi consueta erigere, & in coelestium rerum, præsertim diuinarum Perfectionum & Proprietatum consideratione sese occupare. Vnde opus est aliqua formula breui, & expedita, quam mens sequatur; & in qua, implorato auxilio diuino, se, ad diuinæ excellentiæ notitiam exerceat. Nullum sanè exercitium spirituale salubrius; nullum quoque iucundius, & maioris consolationis cum progressum in eo aliquem fecerimus; nullum ad virtutes assequendas efficacius; nullum ad animum illustrandum, & lumen in omnibus functionibus vitæ præbendum potentius. Vt enim scriptura diuina ait: *Nosse enim te consummata iustitia est; & scire iustitiam, & virtutem tuam; radix est immortalitatis.* Qua de re plura alibi.

Quam ob causam Diuinas Perfectiones, seu Attribute, quæ Deo

A ij tribuuntur

tribuuntur in Scripturis sacris; breuissimè ad imitationem S. Dionysij Areopagitæ (cuius lectio mihi iam à quinquaginta annis mirificè placuit) explicare, & ob oculos proponere statui, omissis plerisque Scripturæ, & Patrum testimonijs, & Theologicis rationibus (quæ omnia alibi satis profecuti sumus) vt tanto faciliùs mens possit illa apprehendere, & conceptum illorum illustri modo formare; & ex illorum conceptu affectus congruentes elicere; & hoc modo animum Deiformem, vt Dionysius loquitur efficere.

ALIUD PRÆAMBVLVM.

De Oratione & optimo
orandi modo.

*Nota. Quia singule considerationes de
Dei nominibus, proximam orandi
ac meditandi materiam suppedi-
tant,*